



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. SS. Patrum & Theologorum testimonia,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

quo tempore redeat in saeculum ad praedicandum gentibus poenitentiam, ut veteres Scripturae interpretes semper intellexerunt. Tertio, ut supra arguebamus, vulgatus Interpres vocem illam in paradiso, addidit, propter communem Christianorum traditionem &c. Sed communis Christianorum traditio docet, Henoch in paradiso translatum, ibi cum Elia mansurum usque ad tempora Antichristi. Ergo &c. Denique, ut infra ostendemus, paradiso terrestris per diluivium destructus non est. Ergo haec responsio falso, aut saltem dubio & incerto nititur fundamento.

§. II.

SS. Patrum & Theologorum testimonia.

Lura refert Malvenda loco citato cap. 83. SS. Patrum testimonia, ex quibus paradiso adhuc extare manifeste colligitur. In primis enim D. Irenaeus lib. 5. adversus haereticos cap. 5. affirmat Apostolicam traditionem esse, Henoch & Eliam nunc manere in paradiso; idque se difficile asserit a presbyteris, qui fuerunt Apostolorum Discipuli. Idem docent Iulianus Martyr cap. 85. ad Orthodoxos, Anastasius epistolâ, quod *synodus sit recipienda*, Augustinus l. 1. de peccat. meritis & remissione c. 3. ubi ait, quod Henoch & Elias in paradiso de ligno vitae parascuntur, sicut Adam ante peccatum, qui habebat de lignorum fructibus refectioem contra veteritatem. Item Hieronymus epist. 61. Henoch & Eliam *paradisum colomos* appellat. Denique S. Thomas 3. p. q. 49. art. 5. ad 2. ait: *Henoch raptus est in paradiso terrestris, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi*. Idem docent plures Scholastici, & Scripturae interpretes, quos idem Malvenda ibidem recenset: unde Pezardentius in notis ad caput ceterum S. Irenaei dicit: *Huius sententia tot suffragantur Auctores, ut ea non discedere, mihi religio sit*.

Secundo plures ex SS. Patribus paradisi pulchritudinem & delicias ita describunt, ut eum adhuc extare, & de re praesenti se loqui manifeste ostendant, ut Tertullianus l. de iudicio Domini c. 8. Lactantius Firmianus, seu si quis alius est Auctor carminis de phœnice, Marius Victor l. 1. carminum in Genesim, Alcimus Avicus l. 1. de initio mundi, Ildorus l. 14. Etymol. c. 13. & Damascenus l. 2. fidei c. 11.

Tercio alij docent, idcirco in Ecclesia hunc vigere morem, ut ad Orientem converteri adoremus, quia in ea mundi parte situs est paradiso; ut Athanasius qu. 37. ad Antioch. Cyrillus Ierusalymitanus Catechesi mytagogicâ l. 1. Basiliius, Gregorius Nyssenus, & Severus, citati à Moyse Barcephala lib. de paradiso cap. 13.

Quarto alij Gangem, Nilum, Tigrim, & Euphratem, etiam hoc tempore ex fonte illo, qui paradiso irrigabat, & ex ipso paradiso profuere, occultique sub terram cuniculis in diversis mundi regionibus conspicuos fontes aperire dicuntur Augustinus lib. 8. de Genesi ad litteras l. 2. in Genes. cap. 24. & 29. Moyses Barcephala lib. de paradiso cap. 21. & Theodoretus quaest. 29 in Genes.

Quinto alij asserunt, paradiso terrestrem quaedam perpetuitate & incorruptione esse donatum. Ita Theophylus Antiochenus Episcopus qui tempore Marci Aurelij floruit, lib. 2. ad Antiochicum, ubi sic ait: *Paradisus aeternitate donatus, in medio caeli & terra consistit, quantum ad aeternitatem & pulchritudinem atinet*. Aeternitate donatum dicit, quod tamdiu ita cur sit,

quandiu mundus, ut recte observat Malvenda. Similiter S. Athanasius qu. 48. ad Antiochicum quaerit, *an corruptibilis dicendus sit paradiso; vel incorruptibilis?* Cui quaestioni sic respondet: *Neque corruptioni eum obnoxium dicimus in morem, nostrarum plantarum & fructuum, qui à putredine & vermibus arrodantur; neque tamen plane vicissim incorruptibilem secundum futuri saeculi incorruptibilitatem; sed respectu nostrorum fructuum & hortorum, omni corruptione est superior; ad futuram verò bonorum gloriam, quam oculus non vidit, nec auris audivit, inferior est, & creditur.*

Denique D. Augustinus l. 2. de peccato originali adversus Pelagium & Celestium c. 23. licet dicat non pertinere ad fidem, *qualis, vel ubi sit paradiso*, subiungit tamen: *Cum tamen esse illum fides Christiana non dubitet*. Similiter Moyses Barcephala lib. de paradiso cap. 13. ait *Basilium, & eius fratrem Gregorium Nyssenum, atque praeter hos Dominum Severum, compluresque alios opinari, paradiso ad Orientalem terrae regionem extare*. Quibus in locis notanda sunt verba illa temporis praesentis, *esse, extare*, quae paradiso adhuc subsistere aperte declarant.

SS. Patribus adungi possunt Doctores Scholastici, & Scripturae interpretes, qui unanimi fere consensu in eandem sententiam conspirant, & paradiso adhuc existere asserunt. Eos lato calamo refert, & citat Malvenda loco citato, addens nullum Theologorum ante Petrum Lombardum, & nullum post ipsum, usque ad Eugubinum repertum esse, qui innuerit paradiso non extare, aut diluvio perijisse. Similia habet Ambrosius Catharinus in cap. 2. Genesim dicens: *An nunc maneat ille paradiso cum suo ornatu, non videtur trahendum esse in dubium, cum omnes Doctores, quos hactenus legi, existimant eum adhuc manere, & ibi esse Henoch & Eliam.*

§. III.

Ratio fundamentalis nostrae sententiae.

Ratio fundamentalis nostrae sententiae potest sic breviter proponi. Si aliqua ratio urgeret ad dicendum, paradiso terrestrem non amplius extare, maxime quia esset destructus aquis diluvij: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Major est praecipuum, & fere unicum fundamentum adversae sententiae. Minor verò sic ostenditur: Scriptura & SS. Patres testantur Henoch non perijisse tempore diluvij, sed speciali Dei providentia ab aquis diluvij fuisse servatum. At convenientior huius providentiae & conservationis modus excogitari nequit, eo, qui asserit, speciali Dei miraculo effectum esse, ut aquae diluvij paradiso non attigerint: Ergo paradiso terrestris aquis diluvij destructus non est. Major patet ex supra dictis: Minor verò suadet referendo absurdos & ineptos modos, quos excogitarunt Adversarii, ut Henoch à diluvij aquis praeservarent. Pererius enim & Viegas aiunt ipsum fuisse sublatum in aëris oras, aquis diluvij superiores, & suspensum in aëre toto illo deluvionis integro anno permanisse. Alij dicunt eum inter medios diluvij vortices inter immanes aquarum moles servatum esse, uti Jonam in profundo maris, & ventris Ceti. Nonnulli addunt forsan in arca Noë angulo aliquo humanis oculis invisibilem delituisse, vel Angelum parvam arculam, ubi clausus servaretur, ipsi fecisse: Sed haec sunt meræ divinationes & fomnia, risu magis, quam refutatione digna. Ergo &c.

§. IV.